

N.^o. 30. 78 L 1637 E45

ODE
QVA
SOCIETATIS LATINAЕ

PRAESIDI ILLVSTRISSIMO
DIRECTORI SPECTATISSIMO
EPHORO GRAVISSIMO

SODALIBVS ILLVSTRBVS EXCELLENTISSIMIS
CLARISSIMIS NOBILISSIMIS
DOCTISSIMIS

MAECENATIBVS PATRONIS
AC FAVTORIBVS BENEVOLENTISSIMIS
QVOD CVNCTIS SE SVFFRAGIIS
IN SOCIETATEM FLORENTISSIMAM
ADSCIVERINT
GRATIAS AGIT

IOANNES MICHAEL GASSER,
GYMNASII HALLENSIS RECTOR.

HALLAE,
EX OFFICINA FÜRSTIANA.
cclccclii.



Kapsel 78 L 16 37 [45]



H ENRICE, magnis edite Patribus,
Maiorque gestis rebus & artibus
Doctis, aucti gloriamque
Nominis omne sacrans per ænum;
Quem clara virtus vexit ad æthera,
Cæloque duxit vis sapientia,
Quem PRAESIDEM arguta Camenæ
Et columnæ venerantur ingens;

)C 2

FRA-

FRATRESQVE, fidus, WALCHIADAE, aureum,

Romanæ onustam qui regitis ratem

Merce, & freto res æstuoso

Ducitis incolumes Latinas:

Vosque, o SODALES, fortia pectora,

Per quos Latinum nomen, & Italæ

Vires recrescunt, & vetustæ

Exsilio reuocantur artes;

Vos beluosum per mare curritis,

Præterque Syrtes saxaque inhospita

Vesti benigno sidere, auri

Vellera magnanimi refertis.

O te beatam, IE NA, ter & quater!

Quæ condis inter nubila verticem,

Collesque nunc Parnasso adæquas,

Quem coluere nouem sorores.

Quin fabulosis Aoniæ iugis

Musas, & ipsum cum lyra Apollinem

Dedu-

Deducis ad sedes volentem
Auspicio meliore lectas.
Vnum poetis est opus ac labor,
Laudare castæ moenia Pallados,
Delphosque Phœbo dedicatos,
Thessala vel celebrare Tempe.
Te, IENA, posthac perpetuo canent
Vates relicta carmine Græcia:
Per te feretur restitutum
Ausoniæ decus omne linguae.
Cantu resultant iam iuga montium,
Redduntque valles multiplicem sonum;
Iam iamque sancto, Mater alma,
Concilio insereris deorum.
Si spiritus mi, si mihi carminis
Ars contigisset: nec paterer meis
Chartis te inornatam fileri,
IENA, mihi quoque cara nutrix.

Nam nostra quod mens, nostra quod indoles

Nutrita faustis est penetralibus,

Et quidquid est nobis, id omne

Muneris esse tui fatemur.

Sed non facultas hæc mihi contigit,

Nascentem amico nec Polyhymnia

Me lumine adspexit, nec ora

Castalio mihi tinxit amne.

At si poetæ præmia vel malo;

Si non HoratI, si neque Virgill

Est æmulari vim: Matinæ

Instar apis thyma per laborem

Circa Salinas, prataque fumidis

Vicina tectis, carpere plurimum

Adsuetæ, ego inuita Minerua

Carmina fingam operosa paruus.

Sed VESTRA si me gratia prouehit,

VESTRA aura tardum si leuat alitem;

Si

Si quid iuuat tutela Phoebi:

Barbiton intrepidus ciebo.

RVTHENE, Pindi præsidium & decus

Ienensis, a TE principium mihi,

TV finis idem: HENRICE, cygni

TE super astra ferent canori.

Iam mugientem non metuam Africum

Audaxque fluctus per medios trabe

Curram leui, portumque tangam,

Hec DVCE, CASTORIBVSQVE * tutus.

Hec dono grati munera pectoris,

(Sunt sola vatum hæc munera pauperum,

Qui verba, qui nil profuturas

Dant, tenuissima dona, chartas.)

Quod me sodalem Latiadum choro

Claro addidistis, qui titulis honor

An-

* Fratres Walchiadas intelligo, ambo Ienensis Academiae Professores celeberrimos.

Anteit, manu quos liberali


Aula dat immeritis malisque.

Hinc mente grata, donec ero, colam

Vestrum fauorem, & iudicium graue:

Lingua manuque, &, si quid vsquam est,

Gratia nostra recens vigebit.



ULB Halle
001 544 11X

3



v. 278

No. 78 L 1637 E45

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ODE
QVA
ATIS LATINAЕ
ILLVSTRISSIMO
SPECTATISSIMO
GRAVISSIMO
VSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS
SSIMIS NOBILISSIMIS
DOCTISSIMIS
TIBVS PATRONIS
VS BENEVOLENTISSIMIS
NCTIS SE SVFFRAGIIS
TEM FLORENTISSIMAM
DSCIVERINT
GRATIAS AGIT
MICHAEL GASSER,
SII HALLENSIS RECTOR.

HALLAE,
VICINA FÜRSTIANA.
cœccccliii.